

A tuus & ego, dolentes querebamus te. Non enim hæc Iudæorum, ut plerique argumentantur, non illudentium uox est. Euangelistæ patrem Ioseph dicunt: patrem Maria confitentur. Non quod (ut superius indicauimus) uere pater Ioseph fuerit saluatoris, sed quod ad famam Mariæ conseruandam, pater sit ab omnibus existimatus. qui antequam moneretur ab angelo, Ioseph fili Dauid, ne timueris accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: cogitabat occulte dimittere eam. Intantum suum non esse, qui conceptus fuerat, confidebat. Sed iam satis docendi magis quam respondendi studio disputatum est, cur Ioseph pater domini, cur Maria appellata sit coniunx: in quo & hoc breuiter continetur, cur fratres eius quidam esse dicantur. Verum quia suum locum huic quæstiunculæ reseruamus, & ad reliqua festinat oratio, nunc illud est differendum, quomodo scriptura dicat: Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus domini: & accepit uxorem suam, & non cognouit eam, donec peperit filium, & uocauit nomen eius Iesum. In quo primum aduersarius superfluo labore desudat, cognoscendi uerbum ad coitum magis quam ad scientiam referendum, quasi hoc quisquam negauerit: & eas ineptias quas redarguit, aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde uult docere, quod donec siue usque ad uerba, certum tempus significent, quo completo fiat id, quod usque ad illud temporis quod præscriptum est non fiebat, uelut in præsentibus: Et non cognoscebat eam, donec peperit filium. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filij tantum differebat generatio. Et ad hoc approbandum congerit de scripturis exempla quæ plurima, more Andabatarum gladium in tenebris uentilans, & linguæ sonum ad confodienda sui tantum corporis membra concutiens. Ad quod nos breuiter respondemus, & cognoscebat, & donec & usque ad sermonem, in scripturis sanctis dupliciter intelligi. & de eo quidem quod scriptum est, cognoscebat, ad coitum esse referendum, ipse differuit, nullo dubitante, quin ad scientiam sæpe referatur, ut ibi: Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Nunc illud est ostendendum, ut quomodo ibi consuetudinem scripturæ secutus est: sic etiam in donec, eiusdem scripturæ autoritate frangatur: quæ sæpe certum tempus (ut ipse differuit) in eius assumptione significat, sæpe infinitum, ut est illud quod deus ad quosdam loquitur in prophetis: Ego sum, ego sum: & donec senescatis ego sum. Nunquid postquam illi senuerint deus esse desistet? Et saluator in Euangelio ad apostolos: Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ergo post consummationem seculi à discipulis suis dominus abscedet: & tunc quando in duodecim solijs iudicaturi sunt duodecim tribus Israel, domini consortio fraudabuntur? Paulus quoque apostolus Corinthijs scribens: Primitiæ, ait, Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum deo & patri, cum destruxerit omnem principatum & omnem potestatem & uirtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius: omnia enim sub pedibus eius subiecit. Esto, de homine dictum sit: non negamus, de eo qui passus est crucem, qui postea sedere iubetur à dextris. Quid sibi uult hoc quod ait: Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius? Nunquid tamdiu regnaturus est dominus, donec incipiant esse inimici sub pedibus eius: & postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet: cum utique tunc magis regnare incipiet, cum inimici cœperint esse sub pedibus? Dauid quoque in quarto gradu psalmos: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri. Ergo tamdiu propheta oculos habebit ad dominum, quamdiu misericordiam impetret, & post impetratam misericordiam oculos torquebit in terram? Quin alio loco dicit: Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in uerbum iustitiæ tuæ. Poteram super hoc innumerabilia exempla congerere, & omnem laceffentis procacitatem testimoniorum nube cælare, uerum adhuc pauca subiiciam, ut his similia ipse sibi lector inueniat. Loquitur in Genesi sermo diuinus: Et tradiderunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & in aures quæ erant in auriculis eorum. Et abscondit eos Iacob subter terebinthum, quæ est in Sichimis, & perdidit eos usque in hodiernum diem. Item in fine Deuteronomij: Et defunctus